


2650

JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.



HISTORICAL RECORDS

The following is a list of the names of the persons who have been
 admitted to the membership of the Society since the last meeting.
 The names are given in alphabetical order, and the date of admission
 is given in parentheses. The names of the persons who have been
 expelled from the Society are given in italics, and the date of
 expulsion is given in parentheses. The names of the persons who
 have died since the last meeting are given in italics, and the
 date of death is given in parentheses. The names of the persons
 who have been elected to the office of Secretary are given in
 italics, and the date of election is given in parentheses. The
 names of the persons who have been elected to the office of
 Treasurer are given in italics, and the date of election is given
 in parentheses. The names of the persons who have been elected
 to the office of Librarian are given in italics, and the date of
 election is given in parentheses. The names of the persons who
 have been elected to the office of Corresponding Secretary are
 given in italics, and the date of election is given in parentheses.
 The names of the persons who have been elected to the office of
 Reading Secretary are given in italics, and the date of election
 is given in parentheses. The names of the persons who have been
 elected to the office of Recording Secretary are given in italics,
 and the date of election is given in parentheses. The names of
 the persons who have been elected to the office of Secretary-at-
 Large are given in italics, and the date of election is given in
 parentheses. The names of the persons who have been elected to
 the office of Vice-President are given in italics, and the date
 of election is given in parentheses. The names of the persons
 who have been elected to the office of President are given in
 italics, and the date of election is given in parentheses.

THE SOCIETY

OF THE HISTORY OF THE

CITY OF BOSTON

AND OF THE

COUNTY OF SUFFOLK

MASSACHUSETTS

INCORPORATED 1822

BY ACT OF THE LEGISLATURE

OF THE STATE OF MASSACHUSETTS

APRIL 18 1875

BOSTON

PUBLISHED BY THE SOCIETY

AT THE OFFICE OF THE SECRETARY

NO. 10 CORNHILL

BOSTON

DISPUTATIO GEOGRAPHICA

DE

VERO

CALIFORNIAE SITU
ET CONDITIOE,

QUAM

AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. FRIDERICI,

HASSIAE LANDGRAVII RELIQ.

ACADEMIAE RECTORIS MAGNI-
FICENTISSIMI,

PRÆSIDE

17. 6. 3.

JO. ADOL. HARTMANN,

HIST. ET ELOQ. PROF. P. O.

PLACIDAE

DD. COMMILITONUM DISQUISITIONI

AD

DIEM XVIII. JULII, AN. MDCCXXXIX.

IN PHILOSOPHORUM ACROATERIO

SUBJICIET

JOH. GEORGIUS GEMELING,

ESCHWEGA - HASSUS.

MARBURGI CATTORUM,

TYPIS PHIL. CASIMIR. MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

DEPARTMENT OF GEORGETOWN

VENO

ALL INFORMATION
IS CONTAINED

HEREIN

UNLESS INDICATED OTHERWISE

IN THIS DOCUMENT

17.0.2

DO NOT WRITE IN THESE SPACES

RPJCB

DO NOT WRITE IN THESE SPACES

IN THIS DOCUMENT

SUBJECT

THE GEORGIAN

RESEARCH - 11-10-58

ANNALS OF THE

THE PHILIPPS AND

V I R O

*PLURIMUM REVERENDO, CLARIS-
SIMO DOCTISSIMOQUE*

DN. HENR. CHRISTOPH. GILLE,
ECCLESIAE ESCHWEGENSIS VERBI DI-
VINI MINISTRO ET PASTORI PRIMA-
RIO, VICINAEQUE DIOECESEOS ME-
TROPOLITANO DIGNISSIMO,
SPECTATISSIMO,

V I R I S

*ADMODUM REVERENDIS, CLARISSI-
MIS, DOCTISSIMIS*

DN. WERNER. PHIL. WISKEMANN,
ECCLESIAE NEAPOLITANAE ADHUC PA-
STORI PRIMARIO, SED DIOECESEOS
VICENHUSANAE METROPOLITANO
DESIGNATO,

DN. GEORG. CHRIST. SCHUCHARD,
ECCLESIAE ESCHWEGENSIS DIACONO,

DN. LAURENTIO WAGNERO,
ECCLESIAE NEAPOLITANAE ADHUC
DIACONO ET SCHOLAE RECTORI, SED
EJUSDEM ECCLESIAE NEAPOLITANAE
PASTORI PRIMARIO RENUNCIATO,

*VIRIS DE ECCLESIA LONGE MERI-
TISSIMIS, FERVENTISSIMIS,*

N E C

N E C N O N

*SPECTATISSIMIS ET PRUDENTISSI-
MIS VIRIS,*

DN. JOH. CHRIST. HOLTZAPFFEL

DN. JOH. CHRIST. HEINEMANN

REIP. ESCHWEGENSIS, PRINCIPALI ET
CIVIUM NOMINE CONSTITUTIS,
CONSULIBUS REGENTIBUS,

RELIQUISQUE VIRIS CONSULARIBUS
TOTIUSQUE ORDINIS SENATORII
MEMBRIS PRUDENTISSIMIS,
HONORATISSIMIS

*DOMINIS, MÆCENATIBUS, PATRO-
NIS ET FAUTORIBUS SUIS ÆTERN
PIETATE COLENDIS DEVE-
NERANDIS*

Hæc laborum Academicorum primitiæ
se suaque studia, qua decet observan-
& submissione, commendaturus

D. D. D.

JOH. GEORGIUS GEMELINUS
RESPONDENS.

CALIFORNIA



SPEC

DN.

DN.

REIP.
CI

RELIC
TC

DOM
NIS
P



J. N. J.

Quod ea, non inter Fideles modo, sed & ipsos etiam, qui solidioris Philosophiæ principiis animum imbuerunt, veritas sit quam verissima, Deum, sibi soli sufficientissimum, & nulla re creata ad felicitatem suam indigentem, ut totius mundi & rerum in eo omnium, cum simul, tum successive, existentium, auctor est sapientissimus potentissimusque; ita omnia ad pandendas Perfectiones suas Divinas quam sapientissime elegisse, ordinasse, disposuisse, laudandi ii profecto sunt fideles, qui, ad intuendam altius Perfectionem Dei infinitam, verbum Dei revelatum cum ipso Naturæ libro studiose conferunt, & ex utriusque cum meditatione, tum collatione, eam, quam summæ Maximi Numinis perfectiones merentur,

tur, existimationem provehere quotidie moliuntur; unde nec male eos mereri existimamus, qui globi hujus terraquei situm, indolem, & regionum in eo visendarum naturam & conditionem accuratius rimantur & investigant, quod hæc ipsa cognitio summas Dei O. M. perfectiones clarius etiam nostris subjiciat oculis. Nos sane hac unice ratione moti in Californiæ situm & conditionem disquiremus, ea, quæ ad veritatem in hac cognitione stabilendam facere videbuntur, Favente Numine O. M. allaturi.

§. I.

Est vero California pars Americæ Septentrionalis, si relationibus Hispanorum plena sit habenda fides, anno 1534. primum a Ferdinando Cortesio detecta, cum is, ut regiones, jam occupatis vicinas, imo ipsum mare septentrionale exploraret, duas eo misit naves, quæ Californiæ extremitatem sub gr. lat. 23. & 30. min. repererunt, sed, cum altera mergeretur, altera ultra progredi non auderet, ipse Cortesius anno sequente omnia coram explorare decrevit, & ad locum, ubi navis merisa erat, perveniens, eum portum S. Cru-

Crucis appellavit. Explorato deinde fluvio S. Petri & S. Pauli, transiit mare terram inter continentem & Californiam, verum amissa ad littus Culvacani nave ægre, unde venerat, redire coactus fuit.

§. II.

Quod tamen regionis hujus quam accuratissime explorandæ variis ex causis esset cupidissimus, anno 1539. cum in finem ipse cum duabus navibus ablegavit Franciscum de Uloa; visitavit hic partem Californiæ orientalem, navibus ascendens ad grad. Latit. fere 30. Verum cum Classarii, e malo prospectantes, se undiquaque terram prospicere dicerent, jam tum enata est quæstio: sitne California Insula, an terra continens? quæ hætenus ab utraque dissentientium parte acriter satis defensa fuit. Ipsi quidem anni hujus exploratores, cum 50. fere milliaribus ascendissent, reperere colorem aquæ mutari & albescere non aliter atque aquam calce mistam, & cum 9. vel 10. milliaribus proVecti adhuc essent, plumbo aquæ fundum explorantes, ipsam maris profunditatem diminui senserunt, veneruntque eo, ubi ne ultra quinque cubitos aqua profunda erat,

quæ & turbida & limosa, videbatur, rapidissimo incurfu in terram devolvi; quæ ipsa re territi, cum terram undique spectare sibi viderentur, ultra ascendere veriti, eo, unde venerant, redierunt, quæstione controversa indecisa relicta.

§. III.

Cum vero sub idem tempus Franciscanus monachus, Marcus de Niza, Novum Mexicum explorasset, & redux, auri montes Pro-Regi Antonio de Mendoza ibi a se visos narrasset, hic cupiditate regionem illam explorandi avidus non Vasquium modo Coronatum eo exploratum misit, sed & Hernandum de Alarcon terminos, ab Uloa emensos, prætervehi jussit. Coronatus quidem pauca, quæ Marcus de Niza enarraverat, reperit; Alarconius vero, limites ab Uloa positos, teste LAETIO, prætervectus, in sinum Californiæ progressus est, & cum rapidissimi fluvii ostium eo in sinu reperiret, eo adverso per 80. milliaria minoribus navigiis subiit, sed cum nec concupita ibi reperiret, cum navibus rediit, imposta huic flumini Bonaguia nomine.

§. IV.

§. IV.

Videns Mendoza ab orientali California latere explorari nihil posse, post biennium Johannem Rodriguez Cabrillo, Lusitanum, cum duabus misit navibus, qui occidentale illius latus & littora exploraret; sed, cum Cabrillo ad grad. Lat. 44. pervenisset, ab ingruente, ipsi intolerando, frigore ad pro-regem nulla regionis hujus certa potitus cognitione redire debuit. Quod Celeb. DE LISLE dans sa lettre touchant la Californie, hic conjicit, hac occasione promontorium Californiae maxime septentrionale, Promontorium *Mendozin* appellatum fuisse, id veri specie non carere, existimamus.

§. V.

Neque defuit deinde Hispanis explorandi studium, namque anno 1611. 1636. & 1675. Varios detexere portus & promontoria, eaque nominibus Nostrae Dominae de Pace, Sinus Sanctae Mariae Magdalenaе aliisque insigniere, ita tamen ut natura & conditio Californiae nequaquam inde certius nosceretur. Quem etiam nacta est exitum expeditio Isidori d' Atondo, qui volente Rege Catholico, & ju-

bente Mexici pro-rege, Marchione de Laguna, anno 1683. duabus navibus versus Californiam tendens, pervenit in portum sub grad. Lat. 24. 25. min. quem d' Atondo portum N. D. de Pace suspicatus quidem est, at certi nihil ausus est determinare; qua etiam in incertitudine rem reliquere Jesuitæ; qui anno 1690. terra pervenerunt in loca Novi Mexici, Herifes & Pimasas dicta, & intra grad. Lat. 24. & 34. sita, nam nec ii certi quidquam, quod memoriæ quidem proditum, definire.

§. VI.

Mansit itaque hos inter exploratores & illorum itineraria sequentes, Geographos incertum, an California sit insula, an terra continens? Certe ii, qui littus Californiæ occidentale explorabundi navigarunt, cum a Promontorio S. Lucaris ad promontorium Mendozinum pervenissent, inde vero regressi essent, Californiam cum terra Esonis incognita aut Tartaria etiam magna conjunctam, censuerunt; cum vero alii, ultra promontorium Mendozinum eveci, vidissent, mare circa gr. latit. 43. versus orientem introrsus

ter-

terram reflecti, in eam prolapsi sunt sententiam, atque si hoc mare ope freti Aniani cum mari de Vermeyo vel rubro conjungeretur, & Californiam insulam efficeret. Quæ ipsa posterior sententia, ab Hispanis primum adoptata, cum Hispanorum Mappam maritimam interceptissent Batavi, teste JANSONIO, a plerisque tanquam verosimilior est habita, & in Mappis Geographicis Hydrographicisque regio hæc tanquam insula omnium oculis est subjecta.

§. VII.

Verum nos contra vulgatam, sed nullo nixam fundamento, sententiam non tantum nihil cum Celeb. DELISLE hac in sententia definimus, & opera interrupta pendentia relinquimus, sed statuimus insuper, eam cum novo Mexico & continente Americæ Septentrionalis conjunctam esse. Vid. figura.

§. VIII.

Ratio asserti nostri est Charta Geographica, quam in Lusitania anno 1713. obtinuimus, facta manu Jesuitæ, qui in nova Granata missionarium hoc seculo inchoato egit; Hic enim, ut relatio addi-

ta docebat, maris rubri, quod Californiam a Novo Mexico separat, penitus cognoscendi, & plures Barbaros detegendi & Baptizandi, cupidus, assumtis aliquot viæ sociis, e Nova Granata oriundis, Septentrionem versus progressus littora Maris Rubri studiose legit, & cum, ad gr. Lat. 3. pervenisset, rapidissimum flumen, se in mare hoc exonerans, deprehendit, verum, cum illius alveum, orientem versus per plura milliaria constanter legisset, illudque reperto demum vado transvadasset, mari rubro rursus vicinior factus, illud eundem polum versus constanter secutus, novum alveum latum satis deprehendit, quo ascenso & vadato, cum Mari Rubro denuo appropinquasset, invenit, Maris hujus Rubri terminum sese versus occidentem paulatim curvare, quem dum, versus tropicum cancri conversus, sequitur, duo quidem adhuc flumina, explorationi suæ obstantia reperit, verum, & iis feliciter vado superatis, sub grad. 34. in ipsam se Californiam peditem progressum esse, deprehendit.

§. IX.

Quo ipso testimonio hominis, fidem hac

hac in re meriti, nos ut ejus asserto fidem habeamus, omnino nos impelli sentimus; Quod enim fides humana tum vacillet, cum vel ipse testis rem, a se propositam, aut ipse attentus non percepit, aut a testibus, omnem promeritis fidem, non accepit, vel certæ quædam adsunt rationes, a quibus testis impelli potuit, ut falsa aut dubia saltem narraret; nihil vero horum in casu præsentente adfit, sane non videmus, qua ratione Jesuita hic narrationis falsæ possit insimulari. Attentam perceptionem certe in illo desiderare non possumus, quod tanta terrarum spatia ipse pedes confecerit, & sola instructus acu magnetica, in loca, quorum situm explorare volebat, denique penetrarit. Sane ubi ad caput fluminum ascendendum, vadum in iis quærendum, secundo eorum transitorum alveo ad mare, in quod se exonerant, rursus descendendum fuit; ubi diversas Horizontis regiones curate observatas videmus, altitudinem ipsam studiose captam intelligimus, cernimus flumina quatuor superata, ibi de attentione exploratoris dubitare velle, res esset, si quid videmus, ab omni ratione remota.

§. X.

§. X.

Neque rationes etiam ulla hariolari licet, quibus vir ille induci se passus fuerit, ut veritatem, a se inventam, falsis narrationibus non tantum velaret, sed & rebus, a se tanto labore exploratis, contraria in Europam, addita etiam Mappa Geographica, perscriberet. Nulla enim ex hoc falso laus, nullum emolumentum, nulla aliqua in illum commoditas poterat redundare. Quin, cum ii, qui in Novo Mexico praesentes erant, vel propria vel aliorum etiam experientia falsi eundem possent convincere, nulla vel verosimilis apparet ratio, cur falsum vero praeligi- gere potuerit.

§. XI.

Non ignoramus quidem, id itineratoribus vitio plerumque tribui, quod ignota maris monstra &, nullis visa mortalibus, portenta enarrare soleant; at novimus etiam, id ipsum vel ab iis agi, qui ad rem non attenti quascunque demum notiones amplectuntur, & pro veris venditant, aut in praesentium corona, nescio quam, sui admirationem & existimationem ea ipsa ratione sibi adstruere mo-
liun-

liuntur. Neutrum vero horum in hominem, in America victurum, ibique moriturum cadere posse ex relatione, in Europam missa, nemo non videt.

§. XII.

Relatus §. 3. Marcus de Niza supra meritum res quidem exaggeravit; at exaggerationis hujus ratio quam facile patet; quod enim vir hic barbaros procul remotos Christo initiari cuperet, id vero sine ductis Hispanorum in has terras coloniis futurum desperaret, pia quadam fraude cupidorum animi erant irritandi, ut temporali ipsi cupiditate ducti viam Evangelico sternerent, at nec hæc fraus in exploratorem nostrum cadit, quod Hispani, occupata jam Californiæ parte meliore, suos ibi alerent Evangelii sui doctores, qui citra hanc escam propositam latius versus Arcticas Regiones progredi poterant, sive scirent, Californiam esse cum reliqua America continentem, sive insulam existimarent.

§. XIII.

Ex qua ipsa relatione id etiam discimus, Californiæ littus occidentale cum Tropico Cancræ magis esse parallelum, atque in vulgaribus Mappis depingi idipsum

psum solet, ipsamque hanc regionem a Grad. Long. Homanniano 250. 240. 230. & ultra, sub gr. Lat. 30. ad 40. sitam esse, adeoque nequaquam adeo esse Septentrionalem, ut a frigoris excessu & frigida sit & infœcunda dicenda, potius, cum a multis sinibus non tantum sed & fluviis rivisque rigetur, de ejus fœcunditate nequaquam est dubitandum.

§. XIV.

Neque dissentit a Mappæ nostræ determinatione ipsa relatio Jesuitarum, anno 1697. in Californiam profectorum, Regio consilio Mexicano oblata. Fatentur enim se, & Septentrionem & Meridiem Occidentemque versus profectos, diversos reperisse populos, qui, inter se licet mixti, diversis tamen utebantur linguis; Regionem, etsi æstate calidam, & ad oram maritimam aridiorem, in mediterraneis esse temperatiorem, neque unquam nimium aduri, potius tempore pluvix cadentis videri quasi aquarum diluvium, dein vero pluviarum vicem sustineri a rore abundantissimo, terram fœcundante, & mensibus Aprili, Majo & Junio

Junio quadam mannae specie permixto. Addunt, se toto quinquennio insignem aëris percepisse salubritatem, nemine ex iis, etsi gravissimis laboribus obruerentur, vel infirmitati vel morti subjecto, nisi uno tantum Hispano & una muliere exceptis, quæ imprudentia sua mortem visa sit accelerasse. His jungunt regionis, planæ, amœnis vallibus ornatae & pabulo copioso semper luxuriantis, non insignem tantum amoenitatem, sed & fecunditatem, utpote quæ omni pecorum genere superbiat, rivos, piscosissimos & cancris inprimis uberrimos, rosetis, vineis sylvestribus & salicibus tegat, fructibus & Mexicanis & sibi propriis, uti & ficibus diversi coloris toto anno abundet. Addunt in hac regione reperiri quatuordecim genera frugum, quibus populus alatur, qui illis adhuc jungat radices arborum, plantarumque, inprimis vero *Juncæ*, & cibum, pani similem, ex iis norit conficere. Magna hic reperitur earum radicum copia, quæ cibo condiendo inserviunt, eundem hic usum præstant faseoli rubri, cucurbitæ & Melones aquatici summa magnitudine & frequentia copiosissima visendi;

B

hanc

hanc ipsam ubertatem ita auget terræ bonitas, ut plures istiusmodi plantæ tertium quot annis fructum eumque maturum hominum suppeditent commodis. Quæ ipsa solius naturæ commoda si hominum in colenda tellure & deducendis aquis industria adjuverit, pereximiam sibi spondent felicitatem & frugum fructuumque omnium Europæorum proventum multo ditissimum.

§. XV.

His terræ bonis animalia jungunt & nobis nota & Californiæ propria, cervos, lepores, cuniculos aliaque, feras vero inter, duas numerant species, ovibus nostris non omnino dissimiles, quarum una lanam gestat texendis variis rebus quam aptissimam, utraque nutriendis hominibus quam maxime inserviat; &, ut leones, cattos sylvestres, aliasque novæ Hispaniæ feras nunc omittamus, memorant: pecora, a se in Californiam importata, uti & armenta gregesque fecunditate nequam fuisse destituta, porcos vero exterminari decretos, quod vicos nimium fecerant.

§. XVI.

§. XVI.

Volatilia quod concernit, videre hic exploratores non tantum hic omnes aves Mexicanas, sed & fere in ipsa observatas Hispania, columbas, turtures; alaudas, perdices delicati saporis, easque magna copia, anseres, aliasque & fluviatiles & marinas volucres. Ipsum mare piscibus plenum reperere, iisque saporis præclari, inter eos celebrant, Trichias, Sardas, Thynnos, qui manu etiam capi possint; adjiciunt inveniri etiam hic Cetos & omnia testudinum genera. Littora vero conchyliorum cumulis referta, quorum plura ipsas conchas margaritiferas magnitudine vincant. Ad quæ accedat sal, non ex aqua marina præparatum, sed in salinis repertum candens, & crysalli instar pellucens, adeoque durum, ut magna tantum vi comminui debeat, & quod ipsum in Novam Hispaniam, ubi sal deest, magno cum lucro possit deportari.

§. XVII.

Imprimis celebrant jam a duobus seculis ad littora Californiæ uberem Margaritarum piscationem, quæ ipsa Europæorum animos ad Californiæ possessionem

capiendam aut figendum in ea stabile domicilium jam dudum excitavit, censentque exploratores nostri ingens Regio arario accedere posse lucrum, si suo sumtu Rex eam Piscationem institui jubeat. De Metallifodinis non dubitant, quod in Provinciis Cinaloa & Sonnorra, sub eodem cum California climate sitis, metallifodinae sint copiosissimae; sed nos, hoc illorum ratiocinium vix aliquid ultra possibilitatem probare, censemus.

§. XVIII.

Ipsos amplissimae hujus regionis incolae quod attinet, eos magno esse numero, praecipue Septentrionem versus, scribunt, addentes: esto vici eorum viginti, triginta, quadraginta aut quinquaginta familiis contentent, omnes tamen domibus destitui, utpote contentos, qui se arborum umbra contra diurnum solis ardorem, inter se vero implicatis arborum ramis foliisque adversus noctis incommoda defendant, hyeme vero in antris subterraneis, sollicitate cavatis, bestiarum more, numerose delitescant, ab omni vestium usu, utpote quibus viri carent, alieni, cum foeminae, modestius licet vestitae, simplici etiam vesti-

vestitu, a pellibus belluarum aut re alia obvia petito, sint contentæ, virorum vero & mulierum pervulgata ea sit occupatio, ut fila ducant, quorum materiem ipsis subministrent longiores herbæ, quæ lini & Cannabis vicem suppleant, aut cortices etiam certorum fructuum. Ubi fila hæc tenuiora fuerint, vestiendo corpori aptantur, crassiora vero in saccos & retia deinde præparantur. Præter hæc is adhuc virorum labor scribitur, quod ex herbis fibrosis & ferratis vasa, cum mensaria, tum culinaria, varia forma & figura conficiant, quæ ipsa coquendis etiam cibus, dummodo igni imposita constanter moveantur, inserviunt.

§. XIX.

Ingenium quod attinet incolarum, illud & acre & ad irrisiones pronum depingunt exploratores, imo id iisdem assignant etiam, quod veritatibus Doctrinæ Christianæ, quæ a præconceptis illorum sententiis abibant, & mascule & acute sciverint sua cogitata opponere. Quod tamen major in illis non reperiatur ingeniorum cultus, id non inique adscribimus defectui omnis Reip. omnis religionis & religiosi cultus,

publica aliqua auctoritate constituti. Ut ut enim Lunam videantur colere, ejusque honori crines ponere, eosque sacerdotibus suis ad varias superstitiones offerre, nulla tamen communi lege inter se copulantur, sed quod cuius familiae arrisit, id in ea legis obtinet vicem, at eadem opera variis dissensionibus, bellis, caedibusque latissimam aperit januam: Hæc F. M. PICOLO retulit in literis, Guadalaxaræ die 10. Febr. 1703. datis.

§. XX.

Quod si quis, septentrionalem Californiæ limitem constitui hic a nobis, velit; ei respondemus, non ignorare nos quidem, complures esse, qui sub gr. Lat. 41. long. 220. eam a freto Aniani terminari credunt, id quod ipsum Mappæ etiam ostendunt Homannianæ. At nos fretum illud cum Martino MARTINIO in *Relatione de Tartaria* suspectæ saltem fidei, eo usque habemus, donec certiori exploratorum fide ejusdem existentia stabilatur. Ut ut enim id etiam Hollandorum & Gallorum relationibus demus, quod, ad Californiæ creditum limitem, sinum aliquem deprehenderint, qui in-

tror-

trorfus terram altius penetret, quam ipsis
libuerit fuis navibus explorare, non ta-
men ex eo ftatim inferemus, atque fi fi-
nus ille fretum fit, quod Afiam & Ame-
ricam feperet & Septentrionem verfus fu-
pra Sinas & Japoniam fe fe extendat.
Quantum enim in mari Rubro, vel finu
Californiæ errarint Hispani exploratores,
dum illum ipfum cum freto Aniani con-
jungi infulamque Californiam conftituere
vaniffime fomniarunt, jam a nobis §. 7.
declaratum.

§. XXI.

Ipfè, modo citatus, MARTINIUS ex
Sinenfium libris refert, genti huic credi-
tum, atque fi terra Jelfo, Japoniæ con-
finis, per 24. graduum fpatium, adeo-
que, ut illi computant, 600. fere millia-
ria, perpetuo & continenti tractu pro-
currat, in varia regna difpefcatur, quo-
rum ultimum & ipfi Californiæ proxi-
mum fit regnum Quiviræ. Sed multa
funt, quæ vetant, ne Sinenfium libris fi-
dem omnem adhibeamus. Cum enim
populi hujus legibus vetitum fit, ne extra
Regni fui limites facile exeant, peregrinis
vero fub pœna capitis vel nocte unica in

continenteSinarum commorari fuerit prohibitum, non apparet, profecto, qua ratione terrarum adeo diffitarum cognitionem genuinam potuerint ipsi assequi. Accedit, quod Quivira Florida, novo Mexico & Californiae sit finitima, ut Hispanorum relationes, Vasquii Coronati suscepta expeditio, testantur, adeoque re-
gnis illis, a MARTINIO memoratis, nequaquam possit esse contermina. Id optari quidem posset, ut curiosi naturae exploratores & in has regiones studiosius inquirerent, ut ea, quae in his terris Dei Magnitudinem & perfectiones testantur, tanto distinctius possemus intueri; Sed, quod ea videatur regionum istarum indoles, ut lucri cupiditas aut nullum hic aut perquam saltem exiguum ab iis stimulum sentiat sibi subdi, cognitionem regionum istarum distinctiorem casui alicui fortuito aut curioso alicujus animo reservatam, arbitramur.

TANTUM.

THE-

THESES RESPONDENTIS.

Cognitio certa existentie nostrae fundamentum est omnis certitudinis cognitionum nostrarum.

II.

Ideoque, qui de certitudine cognitionis, qua se ipsam cognoscit existere, convictus non est, & de aliis rebus sibi representatis potest dubitare.

III.

At, qui certam existentie suae habet cognitionem, in certitudinis hujus causas attente inquirat, & formatas ex hac inquisitione regulas ad alias cognitiones suas applicat, scepticus in rebus pari modo cognitis esse non potest.

IV.

Ut adeo veteres sceptici aut de sua existentia dubitare debuerint, aut, si se certo existere cognoverint, certitudinis hujus causas neglexerint, aut easdem ad reliquas cognitiones suas non applicarint; quacunq; vero ex occasione scepticismum induerint, merito fuerint ab aliis philosophis reprehensi.

Hoc ipso tamen prudentem de rebus, nondum certo cognitis, dubitationem nequaquam eliminatam, sed omnibus potius commendatam, cupimus.

VI.

Quod vero causæ hæ certitudinis hujus de nostra ipsorum existentia absolvantur ratiocinio, regulis Logicæ conformi, & præmissis, de quarum veritate dubitare nequaquam licet, utpote judiciis intuitivis, propositionibus identicis, axiomatibus, aut propositionibus jam alibi demonstratis; per simile ratiocinium etiam, similibus constans præmissis, de ipsa Dei existentia certi sumus.

VII.

Dum vero certi sumus existere ens a se, ab omni ente alio in essentia & existentia independens, certi etiam sumus in ipso hoc ente a se omnes esse perfectiones possibiles, easque citra omnem graduum quorumcunque limitationem.

VIII.

Certi proinde sumus, Ens a se, quod Deum dicimus, esse infinitum, immensum, æternum, summe potens, summo intel-

intellectu & optima voluntate præditum, summe bonum, misericors, aliisque perfectionibus veris ornatissimum.

IX.

Certi hinc etiam sumus, summo cultu Deum esse dignissimum, Verbum Ejus omnem fidem meritum, & promissa Ejusdem indubitata debere apprehendi fiducia, ipsunque infinitas ob perfectiones suas summo esse dignissimum amore.

X.

Imo certi sumus, solam Dei gloriam omnium actionum nostrarum esse finem ultimum laudatissimumque.

XI.

Omnis enim finis, in se spectatus, ut est bonum aliquod;

XII.

Ita, cum Deus sit summum bonum, finis actionum nostrarum bonum est verissimum solidissimumque;

XIII.

Etsi in aliis finibus naturalibus sæpe bonum illud, quod intenditur, apparens sit tantummodo.

XIV.

Unde & patet ratio, cur ultimus a-
ctio-

Etionum nostrarum finis, Deus scilicet ipse ejusque gloria, suam semper movendi vim obtineat, adeoque finis sit in se ipso immutabilis.

XV.

E contra vero, cur fines naturales ab homine sibi propositi tantis vicissitudinibus varietatique tantæ sint obnoxii, ut quod modo voluimus, nunc nolimus.

XVI.

Quod scilicet ea, quæ nunc bona videntur, mala deinde nobis facile possint apparere.

XVII.

Cum vero hæc ipsa judicii de bonitate rei mutatio ex defectu veritatis, quæ cognitionibus nostris inesse potest, ortum suum ducat, veritati studendum esse nemini non facillime elucescit.

XVIII.

Veritatibus annumeramus, quod inter voces, quibus nostras de rebus cognitiones aliis significamus, & notiones rerum aut res etiam ipsas nullus detur nexus necessarius,

XIX.

*Potius Voces sunt signa & cognitio-
num & rerum arbitraria.*

XX.

Unde etiam totam significandi vim nanciscuntur a voluntate voces instituentium, aut iisdem etiam utentium pacto reciproco, saltem implicito.

XXI.

Sunt vero pacta quam accuratissime observanda.

XXII.

Ideoque & vocibus tantum utendum, ut, ad cognitiones nostras & res ipsas significandas instituta sunt, aut mutuo pacto recepta.

XXIII.

Unde mendacia, & quas dicunt, restrictiones mentales, rejicienda esse pronunciamus.

XXIV.

Nullam etiam linguam, quocunque demum nomine appellatur, homini naturalem existimamus.

XXV.

Contra tamen pactum illud commune nequaquam peccant ii, qui inito inter se pacto, ut sibi invicem suas cogitationes significent, novos comminiscuntur sonos, hisque determinatas addunt significatio-
nes,

nes, sonis iis inter se tantum usuri; si aliis collocuturi receptas in lingua gentis voces in determinato huic lingue significato adhibeant.

XXVI.

Cum vero variae non tantum sint res, quas & ipsi cognoscere & aliis possumus significare, sed & varii sint rerum, imo & cognitionum nostrarum modi, variis in lingua opus est sonis, qui omnem hanc diversitatem quam accuratissime alteri significent.

XXVII.

Unde & linguam eam censemus elegantiore, quae diversis his sonis diversa, quae in nobis & rebus accidunt, quam perspicue determinateque alteri potest significare.

XXVIII.

Quod tamen nimia rerum multitudo confusionem facile parere possit, eam preferendam existimamus linguam, quae paucis, sed oppido determinatis, vocibus ea ipsa obtinet, quae in alia non nisi magna cum copia & ubertate possunt obtineri.

XXIX.

Quod si ea ipsa lingua eam habeat vocum

cum syllabarumque juncturam, quæ loquentem remouet ab inutili & frustraneo linguæ aliorumque loquendi organorum motu, & sono suo grata auribus accidit. Eandem alteri etiam existimamus præferendam.

XXX.

Atque hæ ipsæ dotes linguam Romanam compluribus aliis linguis merito anteposuerunt, inprimis ubi a cultissimis Romanorum ingeniis, ex hoc ipso fundamento excolta fuit studiosius.

XXXI.

Ut enim ex Aureæ Ætatis Scriptoribus abunde liquet, habet Lingua Romana eam vocum, in rebus & cognitionibus significandis, determinationem & perspicuitatem, cum summa breuitate copulatam, quam in multis aliis frustra inquisiueris.

XXXII.

Breuitatem ut obtineat, vocum genera ita determinata sunt, ut copiosa articulorum pronominumque repetitione ea indicari non sit necesse. Ipsæ verborum personæ sic determinatæ sunt, ut absque addito personæ agentis primæ secundæque signo

signo ipsa quam clarissime percipi possit, Participiorumque, ope frequentata relativorum repetitio sic potest evitari, ut brevitatis cum summa perspicacia ea in lingua valeat copulari.

XXXIII.

Ipsa vocum Synonimarum copia ut ad insignem eum confert ornatum, qui ex junctura petitur, ita hac ratione pariter comparata est, ut varias rei significatas circumstantias & modificationes eadem simul opera adsignificent, id quod cum ex derivatione, tum vero ex compositione perfacile licet discernere.

XXXIV.

Et, cum a loquente affectus aliquis, in audiente excitandus, frequentissime intendatur, is vero sine confusis rerum notionibus excitari nequeat, ipsa haec vocum Synonimarum copia, aliaque, Linguae Romanae propria, diversissimi ornatu genera, ad eundem commovendum permultum sane contribuunt.

TANTUM.



